

נחח
דברי אידים

SIVE

PRIMORUM ELEMENTORUM
COGNITIONIS VERITATUM
SECUNDUM PIETATEM
AD SPEM VITÆ ÆTERNÆ

CAPUT IV.

DE

MYSTERIO
TRINITATIS,
ASSISTENTE DEO TRIUNO,
JOH. HENRICUS
HOTTINGERUS,

SS. Theologiæ Doctor & Professor ex Parte
Reformatorum Primarius,

ET

JOHANN. GERH. LANG,
Bacharaco-Palatinus. S. L. C.

PLACIDO AC RATIONALI EXAMINI
PROPONUNT

Die Decembris. Anno MDCCXLIV.

Heidelb. ex Typog. Acad. per Jo. Jac. Haener.

Uno Animo ac Ore precantur Prisci Recentioresque.

Adesto Lumen verum, Pater omnipotens Deus! Adesto Lumen de Lumine, Verbum & Filius Dei, Deus omnipotens! Adesto Sancte Spiritus, Patris & Filii Concordia, Deus omnipotens! Adesto Deus unus, Omnipotens, Pater, Filius, & Spiritus S. ! Hanc fidem in te, per te, de te confitemur, Te Unum in substantia, trinum in Personis confitemur, Pater, Filius & Spiritus S. ô beata Trinitas! Deus, Dominus, Paracletus. Caritas, Gratia, Communicatio. Genitor, Genitus, Regenerans. Verum Lumen, Verum Lumen ex Lumine, Illuminatio. Invisibilis invisibiliter, visibilis invisibiliter, Invisibilis visibiliter! Fons, Flumen, Irrigatio! A quo, per Quem, in Quo omnia! Vivens Vita, Vita à vivente, Vivificator Viventium. Verax Pater, Veritas Filius, Veritatis Spiritus. Una Essentia, una Virtus, una Bonitas. Deus, supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil. Deus sub quo totum, in quo totum, cum quo totum. Te invocamus, Te adoramus, Te Laudamus. Doce Fidem, excita spem, infunde Caritatem. Amen!

VIRIS

*Maximè Venerandis, Consultissimis, Expe-
rientissimis, Clarissimis.*


Dno. *JOH. HENR. HOTTINGERO*,
SS. Theol. Doct. & Prof. ex parte Reforma-
torum Primario, Celeberrimo, Ecclesiæ ad
D. P. Pastori Integerrimo, Studiorum suo-
rum Theologicorum hactenus Moderatori
ac Præsidi hujus Dissertationis ævi-
ternum Honorando.

Dno. *CHRISTIANO BRUNINGS*,
SS. Theol. Doct. & Prof. Doctissimo, Facul-
tatis Theologicæ Decano Gravissimo, Pa-
stori Ecclesiæ ad D. P. Vigilantissimo, iti-
dem Studior. Theol. Promotori
Colendissimo.

Dno. *WILH. BERNH. NEBELIO*,
Phil. & Med. Doct. ejusdemque Profess.
Primario, Experientissimo, Facultat. Med.
Decano Spectatissimo, S. E. P. Medico Au-
lico Felicissimo, Societatis Cæsareæ Nat.
Curios. Socio Gravissimo, Studiorum suo-
rum Mathematicorum & Physicorum Di-
rectori ac Patrono ob collata in se beneficia
omni honoris amorisque cultu æter-
num profequendo.

A 2

Dno.




Dno. *PHIL. GERH. RIEGERO*,
 Verbi Divini Ministro, Ecclesiae Reforma-
 tae Gallicae, quae Heidelbergae Christo col-
 ligitur, Pastori Meritissimo, Collegii Sapi-
 entiae Praeceptoris Dignissimo, Studiorum
 Logicorum & Metaphysicorum Mo-
 deratori Aestumatissimo.

Mecænatibus suis, Patronis atque Fautori-
 bus summo observantiae ac Pietatis Cul-
 tu æviternum venerandis.

hoc quaecumque Studio-
 rum Specimen in ob-
 servantiae perpetuae tes-
 timonium cum humil-
 limo Felicitatis peren-
 nis Voto.

Subiectissime inscribit

Job. Gerh. Lang.



CAPUT IV.

DE

MYSTERIO
TRINITATIS.

Σύνοψις.

Unitas Essentiae Dei bene consistit cum Trinitate Persona- rum §. I- IV. Mysterium Trinita- tis non quidem est Dogma Rationis §. IV--VIII. Attamen cum ea fiat. §. VIII- XV. Est propriè Dogma fidei §. XV--XXII. Probandum itaque è Scriptura V & N.	Testamenti §. XXII --XXVI. Ex V. Testamento primò probatur pluralitas §. XXVI --XXXVI. Tum Trinitas Perso- narum §. XXXVI-- XLI. Probatur clarius My- sterium Trinitatis è N. Testamento §. XLI--XLIX. Omnia ergò, quæ com-
--	---

communiam Essentiae divinae, Communiam quoque omnibus tribus Personis §. XLIX.	Mysterium Patris §. LIII-LXIII.
Pater tamen & Filius ac Spiritus S. sunt Personae distinctae §. L-LIII.	Filii §. LXIII-LXXI, Spiritus S. §. LXXI-LXXXI.
	Officia praestanda §. LXXXI, LXXXII.
	Evitanda §. LXXXIII.
	Ingentia Beneficia §. LXXXIV.

§. I.

Existit ergo Deus, isque unus & unicus essentialiter consideratus.

Cap. III. demonstratum erat.

II. *Summe Venerandum Trinitatis Mysterium Unitatem Essentiae divinae corroborat, minime vero tollit vel laedit.*

I. Joh. V. 7. Joh. X. 30.

III. Etenim Pater, Filius, & Spiritus S. non sunt tres Dii. sunt *εἷς* & *ἓν*.

I. Cor. VIII. 6. Eph. IV. 5. I. Joh. V. 7.

IV. Injuriis itaque sunt Judaei in Gentem Christianam, qui ei affingunt gravissimum errorem *πυλυθεότητος*. Quo ipso Figmento maximum obmovent obstaculum Conversioni ad Religionem Christianam.

V. *Dogma Trinitatis Lumine Naturae, Ratione & Usu sensuum, excogitari, demonstrari & defendi nequit.*

deest

Deest enim *quædam* Lumen internum, exter-
num. 1. Cor. II. 7, 9, 14. Matth.
XVI. 17.

VI. Nullæ hinc dantur Imagines, Vesti-
gia Trinitatis in Creaturis, quæ Homo ci-
tra Scripturam ad probandum hoc Myfte-
rium cum convictione invenit, demonstrat.

VII. Hinc etiam nulla Gentilium, Phi-
losophorum Testimonia pro hoc Myfterio
exstant.

Quæ proferri solent, cum Dogmate
Christiano non conveniunt. Viden-
tur potius ex Traditione quædam huc
pertinentia accepisse, quæ verò se-
quente Tempore corrumpebantur.

VIII. *At quamquam Lumen Naturæ hoc
Dogma non inveniat, non tamen ei contra-
viatur.*

Quod supra Rationem, non est contra
Rationem.

IX. *Quin non contemnendam Operam Se-
quentem in Modum præstat.*

X. Docet enim quam certissimè plura
Arcana in rebus physicis, Pneumaticis,
maximè divinis abscondita latere.

XI. Docet dein Arcana hæc posse reve-
lari.

XII. Docet porrò revelata facere ad Glo-
riam Dei, & Salutem Hominum.

XIII. Docet deniquè certò & Apodicti-

cis Argumentis Actu revelata esse Fide recipienda, vera habenda.

XIV. Peccare verò illos, qui ex vitio Incredulitatis talia Arcana revelata rejciunt.

XV. At supra C. II §. XXVI--XLVI. probavimus Scripturam ejusque contenta extraordinariâ, Gratosâ Numinis Revelatione à Deo Revelata, Fide adeoque nostra esse obfignanda.

XVI. Ex pluribus Myfteriis revelatis etiam hoc Trinitatis.

Matth. XI. 27. XVI. 17. 1. Cor. II. 9. 10.

Ex fequentibus plenius conftabit.

XVII. *Est Dogma Religionis Chriftianæ maximi Momenti, Fundamentale, ad Salutem neceffarium & fine quo Oeconomia Salutis Peccatorum rectè intelligi nequit.*

Joh. V. 23. 2. Joh. 9. 1. 11. 23. V. 10.

Joh. III. 36. Est unio Patris, Filii & Spiritus S. Qui Filium non habet, etiam Patrem non habet.

XVIII. Hinc Deiftæ, Naturaliftæ, Confimiles Deum non norunt, multo minus habent.

XIX. Qui fidem habent Deo triuni de fe in Sacris testanti, illi poftea mediantibus Naturalibus, ad quæ respicitur, quandam fibi conciliant viam ad faciliorem & pleniorrem hujus Myfterii intelligentiam.

Quo pertinent voces & Phrafes: *Verbum*

bum Domini, Spiritus Oris, Mens, λόγος, Lux, Effulgescentia, Sol Justitiæ, Ignis, Germen Jehovæ &c.

XX. Cogitationes, Meditationes ejusmodi magis faciunt ad Ædificationem Fidelium, quam Conversionem Infidelium.

XXI. Unde prudenter & parcè publicè sent proferenda.

XXII. Quando verò Dogma Trinitatis puræ fidei est, illud probaturi Argumenta ex Scriptura conquiremus.

XXIII. *Triumus Deus gloriæ admirandæ Nominis sui, & Saluti Ecclesiæ adeo liberaliter prospexit, ut plurima, varia, clarissima, fortissima pro hoc Dogmate Argumenta in Vexbo suo nobis reliquerit.*

XXIV, Mirum itaque dari, qui asserunt Mysterium Trinitatis ex Sacris probari haud posse, indigere Traditione Ecclesiæ.

XXV. Argumenta distinguimus in ea, quæ in Vetere Testamento, & ea, quæ in Novo exstant. Illa contra Judæos infideles, Illa & hæc contra Hostes Trinitatis inter Christianos valent. Hæc illis clariora.

XXVI. *Argumenta ex V. Testamento diuini Generum sunt. Quædam generatim militant pro pluralitate; Quædam pro Trinitate Personarum: Priora, ceu singulariter perspicua, Sapienter contra Judæos infideles stringuuntur. Si enim Argumentorum Sacro-*

ram vi coguntur plures agnoscere Personas divinas, facilius perducentur ad agnoscendum Tres.

XXVII. Pro Pluralitate Personarum divinarum faciunt, quæ sequuntur; *Primò* Nomina Dei, quæ singularem habent, ut אלוה (a) ארון (b) effertur pluraliter אלוהים (c) ארונים (d) Dein in statu constructo (e) cum suffixis (f) more aliorum Nominum Pluralis Numeri adhibentur, Porro construuntur cum Verbis (g) Insuper cum substantivis (h) Præterea cum adjectivis, (i) pluralibus. *Ultimò* cum Verbis, substantivis & adjectivis singularibus, uti (k) communiter.

(a) Habac. I. . (b) Jos. II. 3. (c) Gen. I. 1. (d) Malach. I. 6. (e) Gen. IX. 26. Deut. X. 17. (f) Exod. III. 18. Pf. XLV. 12. (g) Gen. XX. 13. XXXV. 7. 2. Sam. VII. 23. confer. maximè 1. Chron. XVII. 21. (h) Pf. LVIII. 12. (i) Jos. XXIV. 19. Jer. X. 10. Dan. VII. 25. 27. (k) Quare Loca citare superfedemus.

XXVIII. Huc quoque refer Nomina Dei, ut עשׂים (a) ברשׂים (b) בעלים (c) quæ etiam singularem habent.

(a) Job. XXXV. 10. Pf. CXLIX. 2. Eccl. LIV. 5. (b) Eccles. XII. 1. (c) Esai. LIV. 5.

XXIX.

XXIX. Quæ verò Ratio? Non Genius Linguae Hebraicæ. Hic contrariatur. Non Affociatio (a) Dei & Creaturarum. Non *Καθ' ἑνότητα* (b) Idololatrarum. Alia verò Ratio dari nequit, quam Dogma Unitatis & Trinitatis.

(a) Non enim datur Societas Dei cum Creaturis *Jes. XLII. 8.* (b) Certè Moses & Prophetæ, qui fervebant pro gloria unius veri Dei, non habendi sunt Nomina Deorum ex Linguâ Ethnicorum Idololatricâ assumplisse, ac Linguae Sanctæ addidisse, ut rectè contra Clericum observatur.

XXX. *Secundò.* Nomen יהוה *Jehova*, quod Deo proprium, de pluribus prædicatur. Non verò potest prædicari de pluribus Diis. Ergò de pluribus Personis aut Testibus divinis.

vid. *Hof. I. 7. Jer. XXIII. 5. 6.*

XXXI. *Tertiò:* Deus unus jam & ordinariò de se loquitur in Numero singulari, etiam tum, quando summam testatur (a) Majestatem; Jam & rarius (b) in plurali. Rursus alia (c) Ratio non valet, quam Dogma Unitatis quoad Essentiam, Pluralitatis quoad Personas.

(a) *Exod. XX. 2. Gen. I. 26. Ill. 22. XI. 7. Ef. VI. 8. XLI. 21. 22.* (c) Ineptè diceres Deum Majestatis & Potentiæ

rentiæ testanda gratiâ de se in plurali loqui Stylo, qui hodie apud potentes in usu. Stylus Linguæ Hebraicæ non participat de hodierno *Curiali*. Reges, etiam potentes & superbi de se in singulari *Ego* loquuntur I. Sam. XV. 19, 20, 21. I. Reg. I. 30. Dan. II. 3. In singulari quoque compellantur *Tu* I. Reg. I. 17. Dan. II. 29, 30.

XXXII. *Quartò*. Deus à Deo in Sacris distinguitur. At nulla datur distinctio quoad Essentiam, Ergo obrinet, ut vulgo loquimur, quoad Personas.

Gen. XIX. 24. Pf. XLV. 7, 8. Ec. XLVIII. 15, 15. Hof. I. 4. 7. Pf. CX. 1.

XXXIII. *Quintò*. Datur verus Deus, qui mittit; Datur etiam verus Deus, qui mittitur, *Angelus*. Sunt distincti mittens & missus. Non tamen essentialiter. Ergò personaliter.

Gen. XXII. 11, 16, 17. XXXI. 11, 3. conf. XXVIII. 11 --- f. Exod. III. 2, 4, 6, XXIII. 20, 21. Jos. V. 13 --- f. Malach. III. 1.

XXXIV. *Sextò*. Verus Deus est, qui Messiam (a) promittit. Verus Deus est (b) Messias, qui promittitur. Sunt distincti. Non quoad Essentiam. E. quoad Personas.

(a) Ne Judæus quidem dubitat, (b) Pf.

Pf. II. XLV. 7, 8. CX. Jef. IX. 5.
Jerem. XXIII. 5, 6. Hof. I. 4, 7. Mich.
V. 1.

XXXV. In Sacris Siftitur Spiritus S.
Spiritus Dei (a). Siftitur ut verus (b) Deus,
fed distinctus (c) a vero Deo, cujus spi-
ritus dicitur. Verùm distinctio Essentialis
obtinere nequit. Ergo obtinet Personalis.

(a) Gen. I. 2, (b) Num. XI. 25, 26.

Job. XXXIII. 4. (c) Pf. CXXXIX. 7.

CXLIII. 10.

XXXVI. At pro Trinitate ex V. Testa-
mento faciunt Argumenta fequentia. *Pri-
mum*. Creatio est opus (a) solius veri Dei.
At Creatio attribuitur tribus (b) Personis.
Ergò verus Deus est Trinus.

(a) Pf. CII. 26. CIV. (b) Pf. XXXIII.

6. Prov. VIII. 23 --- 31. Gen. I. 2.

XXXVII. *Secundum*. Etiam Liberatio If-
raelitarum (a) ex Ægypto, Legifatio (b)
& Duëtus (c) Populi per Defertum est
opus solius veri Dei. Hoc verò opus in
V. Testamento tribuitur tribus Personis di-
stinctis, Deo mittenti (d), Deo Angelo
miffo (e) & Spiritui (f) Sancto. Ergò
Deus mittens Angelus miffus & Spiritus S.
est verus Deus trinus.

(a) Exod. XX. 2. (b) Exod. XIX. XX.

(c) Exod. XIII. 17. (d) Ipsi infide-
les Judæi hoc afferunt. (e) Exod. III,

2, 4, 5, 6. XIV. 19. conf. XIII. 21.
Exod. XIX. 13. XX. conf. Act. VII.
38. Exod. XXIII. 20, 21. Num. XXI.
6. conf. 1. Cor. X. 9. (f) Neh. IX.
30. Num. XI. 25, 26. Pf. LXXVIII.
40, 41. conf. Act. VII. 51.

XXXVIII. *Tertium.* Solennis Benedi-
ctio & salus petitur pro Populo à solo (a)
vero Deo. At petitur à Jehova, Jehova,
Jehova. (b) Tribus, non Diis, verum Per-
sonis, unde sequitur solum verum Deum
esse Jehovam, Jehovam, Jehovam, tres
divinas Personas.

(a) Num. VI. 27. Gen. XII. 2. Rei Na-
tura. (b) Num. VI. 24 --- 27. Nomen
Jehova ter repetitur in una eademque
divina benedicendi Formula quotidie
recitanda, non distinctis. Distincta
Beneficia rectè referuntur ad Patrem,
Filium & Spiritum S. præeunte scri-
ptura.

XXXIX. *Quartum.* Hymnus ab Ange-
lis dicitur soli (a) vero Deo. Verum di-
citur pluribus, (b) Tribus (c) non Diis,
sed Personis divinis.

(a) vid. Hymnus Angelicus Luc. II. 13,
14. Apoc. V. 11, 12. Pf. CIII. 20. (b)
Ef. VI. 8. (c) Ef. VI. 3. In N. Te-
stamento refertur ad Filium Joh. XII.
41. & Spiritum S. Act. XXVIII. 25.

XL

XL. *Quintum.* Jesaias LXIII. 7---15. (a) XLVIII. 16. 17. (b) claré fatis meminit trium, quibus divina adseribit. Ergò &c.

(a) Locus hic meminit Jehovæ, qui Pater. Dein *Angeli Faciei* Jehovæ V. 9. cui Divina tribuit, Salvationem, Redemptionem, Portationem omnibus Diebus Seculi. Porro *Spiritus Sanctitatis* Jehovæ V. 10, 11. 14. ceu distinctæ Personæ divinæ, illustri Actionibus, Judiciis divinis, contra quam, ceu Deum, gravissimum Peccatum commissum dicitur. V. Neh. IX. 20, 30. Pf. CXLIII. 10. Hagg. II. 5. Pf. LXXVIII. 40. (b) Hic posterior Adonai Jehovæ mittentis, insuper missi, factis & Beneficiis divinis gloriosi, præterea Spiritus divini quoque missi. *Adonai Jehova misit me & Spiritum suum*, qui in Sacris mitti dicitur, non qui filium Dei mittit.

XLI. Ex dictis constat Judæos Mysteriorum Trinitatis falsò Novitatis & Contradictionis adversus scripta Mosis & Prophetarum accusare. Ex dicendis clarius adhuc constabit Hostes Trinitatis inter Christianos Infideles Judæos graviore & detestandâ Infidelitate superare. Major enim Lux pro hoc Dogmate in Scriptis N. Testamenti splendet.

XLI:

XLII. Elucet Imo ex *Baptismo Christi*
 Matth. III. 11 --- f. ceu in quo Mentio fit,
 Dei (a) Patris, Dei (b) Filii, dilecti di-
 vino Honore à Patre, Spiritu S. & Johanne
 honorati, & Dei (c) Spiritus S. Messiam
 ungentis; Personarum adeoque trium di-
 stinctarum divinarum. Hinc etiam Arria-
 nus apud Jordanem Trinitatem videbit.

(a) Matth. III. 17. (b) I. cit. Dein v.
 11. Joh. I. 33, 34. (c) Matth. III. 16.
 Ungentum Messiae ad defungendum
 Munere divino non minus, quam di-
 vinum poscitur. Ef. LXI. 1. Ps. XLV.
 8.

XLIII. II^{do} *Ex Baptismo Christianorum.*
 Matth. XXVIII. 19. Hic enim in solius
 (a) veri Dei Nomen administrandus. At
 administrandus in Nomen Patris & Filii
 & Spiritus S. (b) E. Pater Filius & Spi-
 ritus S. verus Deus.

(a) ob 1. Cor. I. 13. & vim Phrasís *Ba-
 ptizari in Nomen N.* quæ infert illum,
 in cuius Nomen Baptismus administra-
 tur, esse Auctorem Sacramenti. Dein
 summa divina promittere Bona, Rem-
 missionem Peccatorum, Sanctificatio-
 nem, Protectionem, vitam æternam,
 Porrò poscere omnem dependentiam
 in Rebus Religionis. Hæc verò po-
 stulant verum Deum (b) Tres nomi-
 nantur

nantur distincti, ejusdem ordinis Divini.

XLIV. III^{to} *Ex Sermone Christi valedictorio* Joh. XIV. Pater sistitur verus Deus mittens (a) Filium & (b) Spiritum S., in quem (c) credendum. Sistitur etiam Filius verus Deus, ceu verum (d) Fidei objectum, ipsa (e) vita, imago (f) Patris, in Patre (g) existens, & Pater in illo, in cujus Nomine Spiritus S. (h) mittitur. Sistitur denique Spiritus S. verus Deus (i) aeternus, Auctor divinorum (k) Beneficiorum, cujus Tempa (l) Fideles.

(a) Joh. XIV. 24. (b) *ψ.* 16. (c) *ψ.* 1.

(d) *ψ.* cit. (e) *ψ.* 6. (f) *ψ.* 9. (g) *ψ.* 10. (h) *ψ.* 26. (i) *ψ.* 16. (k) *ψ.* 26.

Joh. XVI. 8, 13, 14 (l) Joh. XIV. 16,

17.

XLV. IV^{to} *Objectum Cultus divini & Precum pro impetranda Ecclesiae salute est (a) verus Deus. At Objectum Cultus divini & dictarum precum est (b) Pater, Filius & Spiritus S. Ergo Pater, Filius, & Spiritus S. est verus Deus.*

(a) v. supra § XXXVIII. (b) 2. Cor. XIII. 13. Tres nominantur, distinguuntur, Tria Beneficia memorantur, Gratia filii, qui eam acquisivit donatque Joh. I. 17. Caritas Patris, ceu quae admiranda in dando Filio. Joh. III.

16. Communio Spiritus S. qui ita nobis cum unicus est, ut & nos uniat cum Patre & Filio. Dein Apoc. I. 4. 5. *Non obstat VII. Spiritum fieri Mentionem.* Spiritus S. sub VII. spiritibus venit ad indicandum donorum ejus varietatem, Perfectionem. v. Ef. XI. 2. & Typum Lychnuchi Exod. XXV.

31. 37.

XLVI. V^{co} E. *Fulgido Jobannis Testimonio* I. Epist. V. 7. Quod Personas divinas (a) nominat, (b) numerat, (c) distinguit, (d) unit.

(a) Pater, Sermo & Spiritus S. (b) tres sunt (c) ex dictis constat. (d) *Et hi Tres in unum sunt.*

XLVII. Deest quidem in codicibus graecis, non tamen (a) omnibus. Exstat (b) in Latinis. *γινωσκόντα* ejus Veneratur Ecclesia (c) Graeca. Venerantur Patres (d) nonnulli. Concordat cum (e) Analogia fidei. *Συνάφεια* (f) Textus probat.

(a) Complutensi, Waltoni, Vaticanis, quibus Robertus Stephanus usus est, (b) Vulgata Testimonium hoc habet. Hieronymus ejus disertè meminit. Historia sequens usque ad Reformationem comprobatur. (c) Ergò in Graecis Exemplaribus lectum erat (d) Tertullianus, Cyprianus. (e) Joh. X. 30.

Tot

Tot Argumenta allata docent. Non est Dogma, quod huic soli Testimonio innititur. (f) Scriptor ψ . 9. confirmat Testimonium Dei Testimonio Hominum. Ergo illud antecessit. Verosimile est Oscitantiam Scribarum jam primis in seculis V. 7. in quibusdam codicibus omissum fuisse, unde plures illo carentes descripti ac ad Posteritatem propagati erant. Facillimè evenire poterat ψ . 7. & 8. consimiliter inchoantibus.

XLVIII. VI^{to} *Verus Deus est, cui in sacris $\epsilon\upsilon$ $\Delta\omicron\nu\acute{\alpha}\mu\epsilon\iota$ tribuuntur, Essentia, Nomina, Idiomata, Opera & Gloria divina. At dicta $\epsilon\upsilon$ $\Delta\omicron\nu\acute{\alpha}\mu\epsilon\iota$ tribuuntur Patri, Filio & Spiritui Sancto. E. Pater, Filius & Spiritus S. verus Deus.*

Minor inferius probabitur § LIII. LXIV. LXXIII.

XLIX. *Quæ ergò sunt divinæ Essentiæ, sunt Communia Patri, Filio, & Spiritui S.*

Juxta probata unica est Essentia divina.

L. *Unitas tamen Essentiæ divinæ non infert Unitatem Personæ, aut solum Differentiam Nominalen.*

LI. Pater alius est à Filio & Spiritu S. Filius alius est à Patre & Spiritu S. Spiritus S. alius est à Patre & Filio. Non alius & alius Deus, sed alius Testis Cælestis.

B 2

Joh.

Joh. XIV. 16. ἄλλος ἐστὶν, qui rogatur,
qui rogat, quem rogat. I. Joh. V. 7.
II. Cor. XIII. 13. Apoc. I. 4. 5. Matth.
XXVIII. 19.

LII. *Differunt (a) Proprietatibus personarum, Ordine (b) subsistendi & (c) Operandi*

(a) Patris est ἀγεννησία, Filii γέννησις, Spiritus S. ἐκπορευσις. Non Communes sunt, ut Essentiales. (b) Pater est prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia Persona. Matth. XXVIII. 19. Pater enim Filio vitam dedit, Filius eam accepit, Spiritus S. est Spiritus Utriusque. (c) Patri initium, Filio continuatio, Spiritui S. Consummatio attribui solet, veluti in opere Salutis.

LIII. *Primā Persona significanter dicitur*

(a) Pater, Etiam (b) Deus.

(a) Rarius sub Vetere, frequentissimè sub Novo Testamento. Est Nomen primæ Personæ proprium (b) Joh. III. 16. I. Cor. VIII. 6. II. Cor. V. 19. I. Joh. IV. 9. Ipse Filius & Spiritus S. à Patre.

LIV. *Est Persona divina.*

Essentia enim, Nomina, Idiomatica, opera, & Gloria divina ei in Sacris tribuuntur. Qui Divinitatem Filii & Spiritus Sancti negant, fatentur Patris; Quare probatio haud est necessaria.

LV. *A Nemine existit.*

Quod Patri proprium. Ipse Filio vitam dedit; non ab eo accepit. Spiritus S. ex eo procedit.

LXI. *Tutissimè (a) Mysterium Patris discimus colligentes, quæ Sacræ Literæ de eo prædicant, veluti esse (b) Patrem Jesu Christi proprium, manere (c) in Filio.*

(a) Mittimus curiosas, subtiles Quæstiones de summè venerabili Mysterio Patris. Loco harum substituimus certa & Salutaria Prædicata de eo (b) Joh. V. 16, 17. XX. 17. Excellenti hoc sensu non est Pater Fidelium (c) Joh. X. 38. XIV. 1, 11. XVII. 21.

LVII. Deindedisse Filio (a) Præceptum de vita pro Peccatoribus ponenda, ac (b) promississe ei Gloriam & Peculium.

(a) Joh. X. 18 Pf. XL. 7, 9. (b) Jes. XLIX. 4, 6. LIII. 10. Joh. XVII. 4, 5. Phil. II. 6—10.

LVIII. Porro Filium *ἐναντίας* juxta Vaticinia in Mundum (a) misisse, Morti (b) tradidisse, ac per passiones consumatum, Gloriosum (c) exaltasse constituisseque, Eum Dominum (d) Creaturarum ac Caput Fidelium.

(a) Gal. IV. 4. (b) Joh. III. 16, 1. Joh. IV. 10. (c) Act. V. 30, 31. (d) Eph. I. 20-f. Act. II. 36.

LIX.

LIX. Insuper Mundum dicto Modo secum reconciliasse & remisisse Peccata.

II. Cor. V. 19 --- f. Rom. V. 9, 10.

LX. Homines trahere (a) ad Communionem Filii credentesque (b) omnigena cumulare Benedictione.

(a) Joh. VI. 44, 65. (b) Eph. I.

LXI. Denique mittere (a) Spiritum S. in Nomine (b) Filii, ac producere (c) vitam spiritualem, atque ita esse quoque Patrem (d) Fidelium.

(a) Joh. XIV. 16. (b) 1. Pet. I. 3^e (d) Eph. III. 14, 15.

LXII. Ultimo Omnia esse ex Patre; esse Dominum Cœli & Terræ.

(a) I. Cor. VIII. 6. (b) Matth. XI. 25^e

LXIII. *Secunda Persona notanter dicitur Filius (a) Patris, isque (b) proprius & (c) Unigenitus.*

(a) II. Joh. 3. (b) Rom. VIII. 32. (c) Joh. I. 14, 18. III. 16.

LXIV. *Est Persona divina, ceu possidens (a) Essentiam, (b) Nomina, (c) Idiomatica, (d) Opera & (e) Gloriam divinam, Scripturatum sparsim, tum magis conjunctim & ex professo (f) contra Hostes Divinitatis Jesu Christi testante.*

(a) Est enim *εὖ unum* cum Patre & Spiritu S. Non *εἰς τὸ εὖ ad unum* I. Joh. V. 7, 8. Joh. X. 30. Vitam dein in se ipso habet,

habet, ut Pater, qua divina opera patrare valet Joh. V. 26. Tribuitur porrò ei *μορφή Θεῆ* *Forma Dei*, quâ Deo æqualis sine Rapinâ erat Phil. II. 6. quæ opponitur *Formæ servi verè tali* ψ. 7. Tribuitur ei iusuper *Deitas*, eaque *omnis cum plenitudine*, quæ in Natura ejus humana verè habitat. Colof. II. 9. Præterea Natura humanæ opposita adeo que divina. Gal. I. 1, II. 12. Rom. I. 3, 4. Dicitur denique *Germen Jehovæ*, ejusdem Essentiæ cum Jehova. Esai. IV. 2. conf. Jerem. XXIII. 5. (b) Audit quippe in sacris multoties יהוה Jer. XXII. 6. יהוה Hos. I. 7. יהוה Jer. IX. Conf. X. 21. יהוה Pf. CX. I. Θεός, isque verus, magnus, Benedictus. I. Tim. III. 16. I. Joh. V. 20. Tit. II. 13. Rom. IX. 5. κύριος *Dominus ἐν δυνάμει Unicus* I. Cor. VIII. 6. Act. II. 36. λόγος ejusdem Naturæ Æternitatis, Conjunctionis cum Mente. Joh. I. I, In V. Testamento dictus *Sapientia*. Prov. VIII. 22. *Verbum Domini*. Pf. XXXIII. 6. 9. Quæ Phrasis singulariter placuit Chaldæis (c) Tribuuntur porrò Idiomata divina, ut spiritualitas perfectissima. Rom. 1. 4. vita æterna. I. Joh. V. 20. Sapientia Prov. IX. I. omniscientia Hebr. IV. 13. Sanctitas Apoc. III. 7.

Justitia Jer. XXIII. 6. veritas Joh. XIV.
 6. Libertas Matth. XI. 27. Infinitas. Ef.
 XL. 12. Omnipræsentia Matth. XXVIII.
 20. Omnipotentia Apoc. I. 8. Æternitas
 Hebr. VII 3. Immutabilitas Pf. CII. 27.
 28. conf. Hebr. I. 17. Independentia
 Apoc. I. 8. gloria I. Cor. II. 8. Admira-
 bilitas Ef. IX. 6. (d) Adscribuntur de-
 nique opera divina, tum Naturæ, ut
 Creatio Coloss. I. 16. Conservatio &
 Gubernatio Hebr. I. 3. Col. I. 17.
 etiam Extraordinaria Joh. XXI. 25.
 tum gratiæ, qualia Redemptio Tit.
 II. 13. 14. Reconciliatio Dei cum
 Mundo, II. Cor. V. 19. 21. Missio
 Spiritûs S. Joh. XVI. 7. Vocatio in-
 terna & externa Eph. IV. 10., 11. Vi-
 vificatio Joh. V. 25. Justificatio Ef.
 LIII. 11. Illuminatio Joh. I. 4. 9. Fi-
 dei Donatio Hebr. XII. 2. Sanctifica-
 tio, Hebr. IX. 14. Protectio Joh. X.
 28. Potestatis infernalis & Antichristi
 destructio Coloss. II. 15. II. Thess.
 II. 8. Resuscitatio Mortuorum Joh. V.
 28. 29. Judicium ultimum Rom. XIV.
 10. (e) Tribuitur ultimò gloria di-
 vina, quippe Baptismus in nomen
 ejus administratur Act. II. 38. adora-
 Philii: II. 10. II. invocatur Ap. I. 5.
 Fiducia in eum ponitur. Pf. II. 11.

12. suntque Fideles ejus Templum Joh. XIV. 23. (f) Hanc laudabilem operam præstiterunt Apostolus Johannes & Auctor Epistolæ ad Hebræos. In solo Johanne plusquam C. specialia Divinitatis Jesu Christi extant Argumenta.

LXV. *Est Persona Trinitatis secunda.* Est enim Filius Patris II. Joh. 3. & mittit Spiritum S. Joh. XVI. 7. I. Joh. V. 7.

LXVI. *Est talis per (a) generationem ex Patre ab (b) æterno, Modo (c) ineffabili.*

(a) Filius juxta probata est verus Deus Non est essentiâ alius â Patre. Si verò Deus, dedit essentiâ divinam communem Patri vel ipse â Patre accepit. Non prius. Ergo posterius. Hæc datio in sacris sistitur *generatio* Filii ex Patre. Hinc dicitur *Filius, Filius Patris, proprius, Unigenitus, primogenitus.* Phrasæ generationis propriæ, ut וְיֵהוּוּהוּ, וְיֵהוּוּהוּ, וְיֵהוּוּהוּ de hac generatione prædicantur. P. II. 8. Prov. VIII. 22. 24. & λόγος Joh. I. 1. ἀπάντασµα δόξης Heb. I. 3. Ejusdem Essentiæ cum Mente, Luce gloriosa (b) Est verus Deus per generationem. Ergo ab æterno. Id quod etiam asseritur Prov. VIII. 22

26. Mich. V. 2. Erat ante Abrahamum
 Joh. VIII. 58. Johannem Baptistam,
 Joh. I. 30. non generatione humanâ,
 Ergo divinâ. (c) Ipsa hominum est
 admiranda; quanto magis Filii Dei
 Prov. XXX. 4. Potius scimus, qualis
 non sit, ἀπείωτος, ἀχρόνος ἀχωρητός,
 absque imperfectionibus, quæ comi-
 tantur generationem humanam, quam
 qualis. Sublimior est, quam ut eam
 comprehendere queamus. Recte de-
 voto colitur silentio, & generatim
 juxta sacras litteras Θεογενετός acci-
 pitur effulgentia gloriæ Patris, cha-
 racter Hypostaseos ejus Hebr. I. 3.

LXVII *Mysterium Filii tutissimè quoque
 discimus colligentes, quæ sacrae litteræ de eo
 prædicant.* Qualia præter jam dicta sunt
 Filium esse unum cum Patre, esse in Pa-
 tre, esse in sinu ejus. Joh. X. 30. Joh.
 XIV. 10. Joh. I. 18.

LXVIII. Omnia per Filium esse (a)
 creata, omnia quoque per illum (b) sub-
 sistere, conservari, gubernari.

(a) Joh. I. 3. (b) Coloss. I. 17, 18. Hebr
 I. 3.

LXIX. Ab æterno eum constitutum esse
 mundi Salvatorem ac Dominum, in tem-
 pore (a) promissum, & (b), adumbratum,

εὐχ

εὐκλείως (c) manifestatum, consummatum, ac gloriosè (d) talem declaratum esse.

(a) Pf. II. Prov. VIII. 22, 23. (b) Pf. CX. 5. II. Sam. VII. 13, 16. Hos. III. 5. (c) Gal. IV. 4, 5. (d) Phil. II. 9. 12. Act. II. 36.

LXX. Eundem Spiritum S. obediendo, patiendo, moriundo hominibus (a) acquisivisse ac mittere (c) ad vitam & Salutem æternam producendum ac consummandum

(a) Joh. XVI. 7. (b) Act. II. 33. Tit. III. 5, 6.

LXXI. *Tertia Trinitatis Persona* (a) *variè*, *communiter Spiritus Dei* (b) *Spiritus sanctus dicitur.*

(a) Siftitur enim sub Elementis, si terram excipis, veluti sub *Aquâ*, *Aquâ vitæ*, *Fluviis Aquæ vitæ* Jes. XLIV. 3. Joh. IV. 10. VII. 38, 39. *Ignè* Matth. III. 11. *Vento*, aere Gen. I. 2. Quæ enim Ratio Elementorum in vita naturali, illa in supernaturali. Etiam sub *Oleo* Pf. XLV. 8. *Arrabone* II. Cor. I. 22. quod est Hebræorum *רַבּוּן* (b) Matth. III. 11, 16. ob modum procedendi, operandi, Pf. XXXIII. 6. Joh. III. 8. ob varios effectus sub variis Epithetis venit.

LXXII. Est *Persona*, quippe sacrae literæ, quæ

quæ Personæ sunt, de Spiritu S. *divinæ* & vario modo prædicant.

Associatur enim Personis, ut persona Matth. XXXVIII. 19. Dein attribuitur ei intellectus, Voluntas, Potentia Jes. XI. 2. I. Cor. XI. 11. Porro tribuntur Actiones personales, quales sunt loqui, testari, docere, commonefacere, redarguere, intercedere, accipere, dare, dona distribuere, Episcopos constituere & tot aliæ. Act. XXVII. 25. Rom. VIII. 14. Joh. XIV. 26. Rom. VII. 26. Joh. XVI. 13, 14. I. Cor. XII. 11. Act. XX. 28. Denique Passiones, ut tentari, exacerbari, Tristitiâ affici, blasphemari, invocari. Act. V. 9. Jes. LXIII. 10. Matth. XII. 31. II. Cor. XIII. 13. Ultimò comparere sub columba; Matth. III. 16. Luce Act. II. 3.

LXXIII. *Est Persona divina*, utpote Scriptura etiam Spiritui S. attribuit (a) Essentiam (b) Nomina, (c) Idiomatica, (d) Opera & (e) Gloriam divinam.

(a) Est unum cum Patre & Filio, 1: Joh. V. 7. Est Spiritus Dei, ut spiritus hominis, qui ad essentiam hominis pertinet. I. Cor. II, 11. (b) Dicitur enim Jehova Num. VI. 26. Adonai Jes. VI. 1. Conf. Act. XXVIII.

26 Elohim, II. Sam. XXIII. 3. conf. II. Pet. I. 21. Θεός Act. V. 34. κύριος II. Cor. III. 16. (c) Idiomatica, qualia sunt, quod Spiritus, qui simul Spiritus Auctor Joh. III. 6. Spiritus vitæ vivificans Joh. VI. 63. omniscientia I. Cor. II. 10. Sapientia Ec. XI. 2. Sanctitas, Petr. I. 2. Amor. Rom. V. 5. Libertas I. Cor. XII. 11. Omnipotentia Matth. XII. 28. Æternitas Gen. I. 2. Independentia Joh. III. 8. Gloria. I. Petr. IV. 14. (d) Opera communia Naturæ, ut Creatio Ps. XXXIII. 6. Conservatio Ps. CIV. 29, 30. Gubernatio Ps. CXLVII. 18. Specialia Gratiæ, Unctio Messiae varia Luc. I. 35. Matth. III. 16. Act. II. 33. totius Ecclesiæ I. Joh. II. 27. Ministrorum Eph. IV. 10, 11. (e) Baptismus in Nomen Spiritus S. Matth. XXVIII. 19. ejus invocatio II. Cor. XIII. 13. in Juramento Rom. IX. 1. Adoratio Esaj. VI. 3. Ejus Blasphemia gravissimum peccatum Matth. XII. 31. Templum ejus, quod fideles I. Cor. VI. 16.

LXXIV. Est *Persona divina, distincta à Patre & Filio.*

Matth. XXVIII. 19. II. Cor. XIII. 13 I. Joh. V. 7. Est ἄλλος παράκλητος Joh. XIV. 16.

LXXV.

LXXV. *Mysterium Spiritus S. quoque in-*
missimè discimus colligentes ea, quæ Spiritus S.
de se in verbo divino prædicat. Ex his sunt;
esse Spiritum (a) Patris & Filii, opera (b)
Patris & Filii consummare, mitti (c) à Pa-
tre & Filio

(a) Matth. X. 20. Rom. VIII. 9. (b) E-
ph. I. 3. 15. (c) Joh. XIV. 26. XVI.

7^e

LXXVII. Dein eum opera Naturæ pro-
ducere, conservare, exornare.

Job. XXXIII. 4. Ps. CIV. 29, 30. Gen.
12.

LXXVII. Præterea ipsum Filium Spi-
ritu S., tanquam unguento Divino, ad de-
fungendum opere Redemptionis, sæpius
perfusum fuisse

V. supra §. LXXII. ad (d).

LXXVIII. Insuper Spiritum S. homi-
nes restituere redarguendo, vocando, re-
generando, sanctificando, illuminando, con-
fortando, consolando, exhilarando, in Pre-
cibus instituendo, glorificando.

V. infra *Cap. de Oeconomia Spiritus*
Sancti.

LXXIX. Denique eum Ministros Evan-
gelii, tum ordinarios, tum extra ordinarios,
mittere, ac variis Donis instruere.

Act. XX. 28. Eph. IV. 10, 11. 1. Cor.
XXII. & XIV.

LXXX

LXXX. Ultimò edere eum Effectus extraordinarios; uti vult.

1. Cor. XII. 10, 11.

LXXXI. Hæc de Myfterio Trinitatis in se; Quæ sequuntur, de Officiis, tum præstandis, tum evitandis; ac Beneficiis ex eis profluentibus.

LXXXII. *Officia, quæ trium Deo debemus, sunt* Deo grates dicere pro (a) Revelatione tanti Myfterii, in quo Thesauri (b) Cognitionis & Sapientiæ; maximè Oeconomiae gratiæ; absconditi jacent. Dein verbis, Phrasibus, Terminis (c) Testimoniis Scripturæ hoc de Myfterio præse in hætere. Porro Terminos, qui à longo tempore in Ecclesia Christiana in usu sunt, sensu Scripturæ; qui cum re & Analogia Fidei convenit; (d) non nisi accipere. Præterea spiritum veritatis invocare, ut cum lumine Scripturæ externo (e) uniat cordis internum. Insuper verè revelata simplici accipere & tenere Fide. Deniquè obsequium; quod in Baptismo promissum; sanctè servare, atque ita ultimò ad cognitionem Patris, Filii & Spiritus S. (g) vitæ christianæ magis & magis assurgere.

(a) Luc. X. 21, 22. (b) Colof. II. 2, 3.

Tales sunt Græci οὐσία, ὑπαρξις, ὑποστασις, τριάς, ὁμοούσιον, ἑμπεριχωρησις. Sed Latini, *substantia, substanten-*

stentia, Persona, Trinitas (d) V. G. *Persona* non licet accipere notione communi inter homines. Accipiendum est Notione in sacris (e) I. Cor. II. 10. (f) II. Cor. X. 5. (g) II. Petr. I. 5, 9. Math. XI. 25.

LXXXIII. *Studio & sollicitè evitamus* novos Terminos (a) extra Scripturam, curiosas, subtiles, contentiosas tanto de Themate cogitationes, (b) Ratiocinationes, Principium (c) & Canonem Rationis circa illud, (d) *ἀπείκαστος*, irreverentiam (e) & violationem debitorum officiorum.

(a) Sunt periculosi & Materia contentionum (b) I. Cor. I. 20. (c) I. cor. II. 9, 10. (d) I. Joh. II. 22. (e) Matth. XI. 25. Joh. VII. 17.

LXXXIV. *His præstitis & evitatis ingentia in nos confereatur Beneficia.* Cognitio Patris, Filii & Spiritûs S., in qua vita (a) æterna consistit. Suavissima fruitio (b) Amoris Patris, gratiæ Filii, Communionis Spiritûs S. ac omnium Bónorum, quæ latent (c) in Baptismo. Indies Mysterii accrescens (d) Lux ad majorem Admirationem, Salutem & gloriam, donec (e) imperfectâ, quæ tanti Mysterii nunc est, abolita Cognitione (f) perfectè illud cognituri, atque in beatissima (g) Patris, Filii &

& Spiritus S. Unione ac communione in
effabili Gaudio sariandi erimus.

- (a) Joh. XVII. 3. Matth. XVI. 16, 17.
- (b) II. Cor. XIII. 13. (c) Rom. VI. 3, 4. (d) Matth. XIII. 11, 12. Colof. II. 3. (e) I. Cor. XIII. 9. (f) I. Cor. XIII. 10, 12. I. Joh. I. 3, 4.

Patri, Filio & Spiritui
Sancto sit aeterna laus:
Amen!



Sicuri

Sicuti conaris defendere dogma salutis
Sic & defendat Te veneranda Trias.

Pauca hæc

Prænobili atque Doctissimo

LANGIO Amicitiaë causa scribitur

J. A. Hoffmann,
Med. Doct. & Prof.

Conaris studio, LANGI! defendere Dogma
A quo dependet Relligionis Honos,
Sunt etenim multi, totam qui tollere cu-
rant
Doctrinam sanctam. Gratulor ergò
Tibi.

Crescant, quæ taceo, semper præconia
laudum
Et studiis adsint Numina celsa Tuis.

Hæc Amicitiaë causa apponere
debit, voluit

G. C. BRUNINGS
SS. Th. Stud.

Crucenacensis, opponens.

Ascendis Cathedram, numeras Encomia
 Jovæ,
 Sic descendenti Præmia multa manent.

Hæc Dno Respondenti Præceptori
 suo charissimo amoris testandi gratia
 apponit

D. W. NEBEL, Quart. Class.
 Discipulus.



h
t
t
v
g
u
t
f
d
h
A
C
T
h
c
v
a
q
h
i
u
F
t
r
i
u
r
z


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Afcendis

Sic c

Hae



Centimetres **TIFFEN** Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								
								